

SESSION 2004

ÉPREUVE À OPTION

L'usage de la calculatrice n'est pas autorisé

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Consolation à Cicéron sur la mort de sa fille.

Cicéron fut très affecté par la mort de sa fille Tullia. Un de ses amis, célèbre jurisconsulte, lui adresse la lettre suivante.

Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram uersus nauigare, coepi regiones circumcirca prospicere : post me erat Aegina, ante me Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus, quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare : « Hem ! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iacent ? Visne tu te, Serui, cohibere et meminisse hominem te esse natum ? » Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus ; hoc idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas.

Modo, uno tempore, tot uiri clarissimi interierunt, de imperio populi Romani tanta deminutio facta est, omnes prouinciae conquassatae sunt⁽¹⁾ : in unius mulierculae animula si iactura facta est, tantopere commoueris ? Quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.

Etiam tu ab hisce⁽²⁾ rebus animum ac cogitationem tuam auoca atque ea potius reminiscere quae digna tua persona sunt : illam, quamdiu ei opus fuerit, uixisse ; una cum re publica fuisse ; te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem uidisse.

Seruius Sulpicius Rufus.

⁽¹⁾ Allusions aux guerres civiles qui viennent de se terminer par la victoire de César, laquelle marque la fin du régime républicain.

⁽²⁾ *Hisce* : forme renforcée de *his*.